





Freiherr v. Ende-Miljessnitz.







THESES
 QVEM ADMODVM
 FEVDVM EX CVLPA AMIT-
 tatur, & cui ita amissum
 applicetur.

QVAS

D. F. G.


*AVTHORITATE ATQVE
 Consensu Amplissimi Iuris-
 consultorum in Inclyta Basi-
 liensium Academia*

ordinis,

Pro priuilegijs ac honoribus summi
 gradus in utroq; iure consequendis
 discutiendas proponit

IOHANNES SCHEFFER
 HALLENSIS SAXO.

Ad diem 5. Nouemb. loco horiq; consuetis.



BASILEÆ,
 Typis CONRADI VALDKIRCHII.
 MD CIII.




AMPLISSIMIS, PRÆCLA-
rissimis Consultissimisq; viris,
Dn. NICOLAO VIGELIO,
IC. longè celeberrimo, & juris
in Academia Marpurgensi Pro-
fessori meritissimo, affini ac
præceptori suo summa ob-
servantia colendo:

Nec non

Dn. CHRISTOPHORO PAV-
LI I.V.D. Illustrissimi principis
ac Dn. Dn. LUDOVICI Hassiæ
Landgrauij, &c. consiliario pru-
dentissimo, simul & supremi
Hassiaci Dicasterij adfessori gra-
uissimo, amico ac fautori suo
plurimum obser-
uando:

*Dedicat, consecrat in observantia ac gra-
titudinis testimonium*

Iohannes Scheffer.



THESIS I.



F V D O legitimè acquisito Vasallus sine culpa, eaq; conuicta non priuatur, ne quidem à principe ex plenitudine potestatis.

I I.

*C*ausas autem, ex quibus feudum amittatur, varias esse, nec sub certa aliqua regula aut definitione rotunda omnes comprehendi posse, ideoq; præter in iure feudali expressas, alias aequè graues vel grauiores ex arbitrio iudicis admittendas esse, cum IC. concludo.

I I I.

*V*erùm non omnes causas, propter quas liberi exheredantur, vel diuortium conceditur, aut donatio perfecta reuocatur, sufficientes ad priuandum feudo Vasallum cum Dd. puto: sed eas saltem, quas similitudinis aut maioritatis ratio huc trahendas suadet.

I V.

*S*anè omnis culpa, ob quam Vasallo feudū eripitur, in committendo vel omittendo consistere solet, siue mediatè, siue immediatè dominum respexerit.

V.

*C*ommissionis delicta, quæ cæteris grauiora putantur, ex quibus Vasallus feudo priuatur, hæc ferè sunt: Si Vasallus dominum oppugnauerit, aut castrum eius violenter inuasit, siue sciuerit dominum vel dominã ibi esse, siue non; si in personam domini manus iniecerit, aut per alium inyci curauerit; Quòd si manus alleuet contra dominum, nec percutiat, propterea non perdet.

V I.

Similiter feudum adimitur Vasallo, si graues & inhonestas iniurias domino intulerit, eiusq; dignitatē sugillauerit, aut etiam mendacium obiecerit, vel vitæ eius veneno, vel gladio, vel aliter insidiatus fuerit.

V I I.

Sciendum tamen, in his omnibus ne iuratam quidem voluntatem, nudumq; animi propositum sufficere, si modò coniuratio cum alijs, & actus aliquis ultra cogitationem non accesserit.

V I X.

Sic Vasallus domini hostis aut inimicus factus, feudo indignus est; item si hostes iuuet, aut cum his fœdus amicitiasq; contrahat, dum tamen id in perniciem domini faciat.

V I X.

Verùm eius rei probatio cui incumbat, variant interpretes. alij enim domino, alij Vasallo incumbere opinantur: quidam totum illud iudicis arbitrio permittunt, in quod procliuor sum.

X.

Feudo itidem carebit Vasallus, si delator domini sui extiterit, & per suam delationem graue dispendium eum sustinere fecerit: si dominum etiam nocentem vel reum criminaliter accusauerit, si testimonium contra eum dixerit, si accusatorem alium submiserit, aut pro accusante fideiusserit, vel in causa contra dominum aduocati munus gesserit.

X I.

Quemadmodum etiam, si actionem aliquam famosam contra dominum intentet; Vnde interdictis recuperanda possessionis an Vasallus aduersus dominum experiri, eundemq; an sine venia in ius vocare queat, dubitari solet? Et hoc posse, communiter receptum est, in illo contrarium maxima interpretum pars sequitur, de quo tamē idem cū Iacobino de S. Georg. & Schenck Barone affirmo.

Simi-

XII.

Simili ratione Vasallus feudum perdit, si malè contra dominum iudicet; si ad damnum eius manifestet secreta, si domini munitiones hostibus eius tradat, aut enunciet, seu viam ijs per suum concedat.

XIII.

Quò & illud pertinet, si dominum spoliet Vasallus, si sciens dolo malo feudum ab alio quàm domino, recognoscat, vel illud eiusue conditionem inficietur.

XIV.

Cuius generis etiam sunt, si rem feudalem insigni deterioratione afficiat ac dissipet, si seuitiam in subditos exerceat, no uisq; exactionibus eos oneret.

XV.

Sic insuper Vasallus meritò feudum perdere iudicatur, si uxorem domini contumelia aut conuicio affecerit, si cum ea concubuerit, vel concumbere se exercuerit, aut cum ea turpiter lusit, deosculando scilicet, (habita tamen consuetudinis loci & qualitatis facti ratione:) vel turpiter ac inhonestè amplectendo aut tangendo; vel si alijs ad vitium illud perpetrandum opem tulerit, consiliū uel dederit.

XVI.

Nec hoc casu turpe colloquium ad priuationem sufficere, contra Curtium cum reliquis credo, licet ob id iniuriarum actione Vasallus rectè conueniatur.

XVII.

Quodq; de uxore domini dicitur, idem obtinet in matre domini, sponsa, sorore; dum tamen hæc in domo domini sit, nec refert nupta fuerit an innupta; quemadmodum nec attenditur, num uolentibus illis, an uerò inuitis Vasallus hoc admiserit, quod & si meretrices aliàs istæ sint, ac inhonestè uiuant, obtinet.

XIX.

An & in uidua domini procedat, controuertūt interpre-

tes? quod contra communem eum alijs negandum existimo;
idem de concubina tam secularis domini, quam Ecclesiastici,
nec non pedisse qua statuens.

XIX.

Præterea feudo priuabitur Vasallus, si proditor fuerit, siue
dominum ipsum prodiderit, siue alium quemcungq; si fratrem
suum aut nepotem ex eo interfecerit, ad hoc ut ipse totam hæ-
reditatem solus haberet.

XX.

Si parricidium, incestumue commiserit, Papa etiam circa
illum dispensatione neglecta; si fratris sui con Vasalli captione
malam, putà carcerem procurarit.

XXI.

Ita iusta priuationis causa est, si Vasallus tale quid comit-
tat, ob quod honestè, seu sine dedecore in Curia domini stare nõ
possit; licet non ex omni admissio, quod opinionem eius gra-
uet, puniatur.

XXII.

Hinc Vasallus de crimine publico dānatus feudum perdet,
maximè si omnia eius bona publicata sint, ut domino serui-
re nequeat.

XXIII.

Commissionis deniq; delictis non inconcinnè annumerā-
bitur alienatio feudi, sine consensu domini à Vasallo facta. Va-
sallus enim feudum vel totum vel eius partem sine licentia
domini, etiam fictè tradendo, in alium transferens, id perdit
vel totum, vel pro parte, qua alienauit.

XXIV.

Nec attendo secutus comunem, an partem illam tanquam
feudalem vel non feudalem alienauerit; licet posteriori casu
totum feudum amitti quidam existiment.

XXV.

Idq; adeò verum est, ut nec necessitas summa, putà famis
Vasallū excuset, nec eum à pœna contractus nullitas, vel eius-
dem

dem in continenti reuocatio, aut de non ledendo iure domini interposita protestatio liberet; quod & in feudo franco obtinere puto, quamquã non desint, qui citra caducitatis pœnam illud alienari posse affirmant.

XXVI.

Ac verbum alienationis hîc latissimè accipiendum est, ut non modò venditionem comprehendat, sed & permutacionem, locationē ad longum tempus, in emphyteusin dationem, oppignerationem, An & hypotheca constitutionem, non usquequaque expeditum est? affirmantium partes, quas & Camera Imperialis testante Geilio, iudicando secuta est, tueri conabor.

XXVII.

Idem de dotis datione, dotalitij constitutione, donatione, datione in solutum, compensatione statuendum erit.

XXIX.

His commodè hæc dubia annectitur questio: An & quatenus feudum in executionem capi queat? circa quam distinguendum est, utrum executio ab ordinario loci, qui non est simul dominus, an ab ipso domino feudi fieri debeat? priori casu saltem in fructus & commoditates feudi, posteriori etiam in ipsum ius feudi, quod utile dominium vocant alij, fieri posse, Hart. Pist. secutus sentio.

XXIX.

Dubitatur etiam, an tam personalem, quàm realem seruitutem in re feudali Vasallus constituere queat? & posse verius est; ut tamen resolutio dantis iure, accipientis ius resoluatur.

XXX.

Et quod de prohibita alienatione dicitur, etiam in ultimis voluntatibus locum habet; nec enim Vasallus testamentaria institutione aut legato ne quidem pro anima feudum relinquere, nec mortis causa donare potest, adeò ut feudo legato, nec eius aestimatio debeat.

Circa.

XXXI.

Circa qua incidenter hac necessaria occurrit dubitatio; Vtrum in feudo nouo pater uni filiorum prelegare queat? & consensu domini posse, siue hereditarium feudum sit, siue ex pacto & prouidentia tutius videtur.

XXXII.

De subinfeudatione queritur, an & illa alienationis verbo contineatur, adeo ut eam faciens Vasallus feudo cadat? & non contineri certum est, modo sine fraude, equali, sub eadem lege, qua tenetur fiat; nec interest feudum sit Ecclesiasticum vel seculare, ita tamen ut dominus, non agnati feudo ad ipsos deuoluto, eam ratam habere cogantur.

XXXIII.

Porro concessa à Rege, derogando constitutioni Regni subinfeudationem prohibenti, Vasallo subinfeudandi facultate, an Vasallus sibi vel Regi subuasallum acquirat, dubitari contingit? Marinus Freccia Regi, Menoch. Vasallo acquiri putat, cuius sententiam amplector.

XXXIV.

Ac licet citra domini consensum sine pœna feudum Vasallus alienare nequeat, impune tamen illud eo inuito etiam refutare potest, communi Dd. distinctione reiecta, an feudum francum, vel ad certa seruitia vel incerta concessum sit, modo non intempestiue renuntiatio fiat.

XXXV.

Sic & rem feudalem diuidere inuicem Vasallis coheredibus citra caducitatis periculum licet, uti & de ea in scio domino transigere, decidendi scilicet, non alienandi aut diminuendi causa.

XXXVI.

Hinc an & Vasallus compromittere de feudo in arbitrum vel arbitratorem sine caducitate possit, questionis est? & in utrumq; ijs in casibus, quibus de re feudali aliàs transactio permittitur, posse assero.

Ex

XXXVII.

Ex praemissis constat, alienationem feudi accedente domini consensu fieri citra caducitatis periculum; quod adeo verum, ut & rati habitio etiam post mortem Vasalli, imò tacitus consensus, non tamen cum sola scientia coniunctus, sufficiat.

XXXIX.

Verum cuius domini consensum subvasallus alienans requirere debeat, inter nostros non conuenit: alij enim mediati, alij immediati domini consensum sufficere, alij utriusque requiri statuunt. quod posterius ut tutius videtur, ita defendendum puto.

XXXIX.

Deniq; in hac alienationis materia intactum illud non relinquo; An alienatio contraria consuetudine induci possit? magis communis opinio affirmat, quam sequor.

XL.

Et haec potissima sunt commissionis delicta, sequuntur ea, quae in omittendo consistunt; quorum primum sit, si Vasallus dominum in bello aut acie periclitantem, non mortuum nec ad mortem vulneratum deserat.

XLI.

Omnibus enim ingenij, corporis & fortunarum viribus Vasallus dominum tam in pace quam in bello, imò etiam in priuata rixa aduersus omnes (excepto Imperatore & antiquiore, si quem habet, domino, quibus pietatis intuitu patrem & filium adiungo:) tutari & adiuuare debet, ita tamen, ne propriam vitam domini saluti postponat.

XLII.

Vnde non sine ratione dubitari video; An vasallus grauius vulneratus citra priuationis pœnam discedere queat? & non posse, nisi vite sibi imminet periculum, communiter placuit.

B

Sub-

XLIII.

Suboritur etiam ex illis, quæ de antiquiore in precedentibus dicta sunt domino, hæc quæstio; Vtrum antiquitas illa ex persona v. a. falli, an verò ex feudi forma & qualitate originali sit æstimanda? Quod posterius tanquam frequentiori interpretum calculo approbatum, ac solidis etiam iuris rationibus subnixum, verius iudico.

XLIV.

Similiter in dubium vocatur; An si duo sint fratres, commune feudum tenentes, quorum alter dereliquerit dominum in prælio, alter dominum fideliter adiuuerit; an is, qui aufugit, feudo nihilominus priuetur? & pro sua parte illum priuari, affirmantibus assipulor.

XLV.

An & in bello longè à patria remoto aut iniusto dominum v. a. fallus tueri debeat, quæri possit? et debere, dummodo, quò ad bellum iniustum, dominum defendat, nõ etiam alios offendat, nostri sentiunt.

XLVI.

Non minus iusta feudi auferendi causa est, imò hæc nulla iustior, quàm si v. a. fallus requisitus à domino seruitium, propter quod feudum datum est, præstare recusauerit, vel à domino ad publicam expeditionem euocatus debito temporis spacio venire, vel alium acceptabilem pro se domino mittere, vel dimidium redditus feudi unius anni domino subministrare supersederit.

XLVII.

Huc difficilis illa ac intricata, multumq; agitata pertinet quæstio; Vtrum v. a. fallus annum canonem, pro quo feudum datum est, suo tempore non soluens, aut triennio soluere cessans, feudo cadat? placet hæc in re negantium sententia.

XLIX.

Perdit deinde v. a. fallus feudum, si domino iustitiam facere noluerit, si ter citatus à domino in iudicium contumaciter non venerit, si imminens periculum domino nõ denunciauerit, vel impedierit.

Si

X L I X.

Si dominum carceratum vel aliter detentū aut obsessum, cum potuerit, non liberauerit; quamquam es eius alienū dissoluere, dominumq; egentē v. vasallus alere minimè cogatur.

L.

Pertinent huc & illa, si subvasallum in dominū maiorem delinquentem, v. vasallus à suo domino requisitus, non requirat, ut satisfaciat; si filium simile quippiam perpetrantem ad dominū requisitus non deducat, aut à se separet, quod & circa quoslibet domesticos dicendum est, excepta uxore.

L I.

Quòd si patre volente eum deducere, filius contemnat, patre mortuo in feudum non succedet, nisi prius satisfecerit domino; Hinc ob ingratitudinem ita excluso filio, an nepos ex eo excludatur, questionis est? & ex persona aui sui nepotem feudum capere posse receptum est, dummodo is tempore vite aui ante feudum delatum natus aut conceptus fuerit.

L I I.

Privationis pœnā insuper sustinet v. vasallus, si domino quid ad feudi naturam pertinens, & ad quod v. vasallus teneatur, precipienti non obedierit, si iuramentū fidelitatis prestare, titulum'ue possessionis suae domino ostendere recusauerit.

L I I I.

Ac denique, si v. vasallus paganus investituram intra annum & diem, vel v. vasallus miles intra annum & mensem à morte domini, aut ab eo tempore, quo feudum quæsitum, petere neglexerit.

L I V.

Et quod de milite dictum est, eum videlicet habere ad petendam investituram annum & mensem, quidam in omnibus nobilibus locū habere asserunt: quod nisi reuera militent, probandum haud videtur.

L V.

Verum commodè hic dubia satis se offert discutienda qua-

*stio; An minor debito tempore inuestiturā non petens resti-
tuatur? restitui, maiorem interpretū partem secutus tuebor.*

LVI.

*De impubere etiā non frustra quis quæret, an ille feloniam
possit committere, ut feudo priuetur? & faciendo committe-
re posse, non etiam omittendo, vel negligendo, à nostris con-
cludi reperio.*

LVII.

*Porrò de his omnibus & similib. causis quæri solet; Vtrum
vafallus ipso iure amittat, an verò per sententiam? & sen-
tentiam definitiuam vel declaratoriam ferri opus esse, com-
muniter sentiunt.*

LIX.

*Hinc, feudo aperto, an ex tempore delicti, an verò senten-
tiæ lata restitui fructus debeant, Dd. ambigunt, & eos indi-
stinctè ex tempore delicti restituendos esse Iacobino asseren-
ti credo.*

LIX.

*Quemadmodum & illud scrupulo non caret; An ius pri-
uandi, heredibus domini competat, & an aduersus heredes
vafalli, si fortè dominus in vita sua de culpa vafalli conque-
stus non fuerit, vel vafallo viuente tacuerit? & non cōpetere,
nisi dominus commissum ignorauerit, affirmantibus accedo.*

LX.

*Et quæ hucusq; de vafallo dicta sunt, etiam in domino pro-
cedunt, ut videlicet ex iisdem causis priuetur feudi proprietate,
ex quibus vafallus ius suum amittit.*

LXI.

*Hinc dominus, si in personam vafalli manus iniecerit, grā-
ues & inhonestas iniurias ei intulerit, illum debito tempore
non inuestierit, aut iustitiam facere neglexerit, proprietatem
feudi absq; eius consensu alienauerit, aut feudo abusus fuerit,
illius'ue uxorem, sponsam filiam, neptem ex filio, sororem car-
naliter cognouerit, vel turpiter tetigerit; denique quamlibet
aliam*

aliam feloniam, per quam Vasallus amitteret feudum, commiserit, proprietate priuabitur.

LXII.

Haecenus ut ex delicto feudum amittatur, vidimus; sequitur, ut cui ita amissum deferatur, dispiciamus; Qua in re omnium suffragio comprobatum est, feudum nouum delicto amissum indistincte ad dominum redire, siue in dominum, siue in alium Vasallus deliquerit.

LXIII.

Et hoc, etiamsi feudum nouum pro se & fratre, vel etiam pro se & filijs, receptum sit, obtinere existimo.

LXIV.

Quod si Ecclesia Prelatus, vel ciuitatis administrator, cui gubernatio ut Prelato commissa, in dominum peccauerint, Ecclesia vel ciuitas ad vitam horum feudo priuabuntur.

LXV.

Si tamen aliquis priuatus, vel pars quaedam ciuium dominum offenderet, ex hoc ciuitas feudum non amitteret, nisi de domino offendendo consentirent omnes, aut decreto id determinassent per maiorem partem.

LXVI.

Antiquum feudum similiter omnibus agnatis Vasalli & descendentibus exclusis domino defertur, si in ipsum dominum culpa sit commissa.

LXVII.

Hinc erroris manifesti conuincuntur illi, qui feudum ob alienationem indebitam factam, vel ob non petitam inuestituram, aut ob recusata seruitia iustitiamue denegatam domino aperiri negant.

LXVIII.

Verum hic admodum perplexa, ac satis dubia, multumque difficilis se offert quaestio: An feudum hoc modo domino delatum, apud eum perpetuo maneat, an vero duntaxat ad vitam

delinquentis, eiusq; descendendum? Cuius utramq; partem exercitij gratia disputando evolui placet.

LXIX.

Huic consequenter subijcietur altera: An feudum illud, quod culpa remissa à domino Vasallus recepit, sit maneatq; antiquum; an verò novum censeatur? Sunt qui novum tunc esse; sunt qui antiquum manere volunt, quos Mozius post alios distinctionis beneficio conciliat, quem sequor.

LXX.

Quòd si delictum non sit commissum in personam domini, sed alterius, feudum agnatis delinquentis defertur, nec in hoc casu, aut alijs unquam ad filios delinquentis feudatarij devoluitur.

LXXI.

Quibusnam autem agnatis aperiatur, graviter controuertitur? Quidam agnatos ultra tertium gradum ipsi delinquenti coniunctos tantummodo admittendos putarunt; alij etiam proximiores agnatos, atq; adeò intra tertium gradum constitutos non excludendos asserunt. quod posterius tanquam vero propius probandum reor.

LXXII.

Porrò feudo ita agnatis aperto, an dominus ijs inuitis feloniam remittere possit, disquirendum venit? & non posse, ne filio quidem delinquentis gratiam faciendo, eiq; feudum concedendo traditum est.

LXXIII.

Circa premissa & illud queritur? Sub vasallo delincente, utri domino feudum deferatur? & tam ob alienationem illicitam, quàm ob alia delicta domino immediato committi, communi contraria opinione reiecta, cum quibusdam existimo.

LXXIV.

Ceterum publicatis bonis Vasalli, an feudum quoq; confiscetur, controuerti video? qua in re animaduertendum, ex quo delicto bona publicentur: si enim eiusmodi propter quod Vasallus

*salus nihilominus feudi capax maneat, tunc fructus commo-
ditatesq; feudi ad fiscum spectant: si verò tale delictū, ob quod
feudo priuetur, vel inhabilis ad seruiendum efficiatur, ad a-
gnatos vel dominum eo casu, pro delicti ac feudi qualitate feu-
dum reuertitur.*

L X X V.

*Non minorem difficultatem habet & illa questio: Cui feu-
dum deferatur, an domino feudi, vel vim passo, si id perdi con-
tingat ex violentia à Vasallo commissa? & ius feudi domino
deferri, vim passo autem commoditatem eius tamdiu conce-
di, quàm apud delinquentem permansisset, Menochij vestigijs
insistens concludo.*

L X X V I.

*Deniq; ob culpam à domino commissam, proprietatem in-
distinctè siue nouum siue antiquum sit feudum, siue in fidelem
suum ille, siue in alium deliquerit, Vasallo deferri communius
placuit; quod tamen ita verum, si dominus iste allodium suum
in feudum concesserit alteri: nam si id, quod feudi nomine te-
nebat, alteri subinfeudauerit, aliud dicendum.*

L X X V I I.

*Coronidis vicem obtineat controuersa hæc ac nodosa quæ-
stio? An dominus ullius unquam temporis præscriptione feu-
dum amittat, & non amittere verius arbitror; quamuis &
contrariam communem disputandi gratia defen-
dendam suscipiam.*

F I N I S.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

LXXVI

LXXVII



De Societate univ[er]sali... De Societate univ[er]sali... De Societate univ[er]sali...


Societas univ[er]sali... Societas univ[er]sali... Societas univ[er]sali... Societas univ[er]sali...

Adhuc pro Socio... Adhuc pro Socio... Adhuc pro Socio... Adhuc pro Socio...

EX LIBRIS







99 A 6917

ULB Halle

3


002 546 884



10

VJ 17 Retro ✓







XXXI.

THESES
QVEM ADMODVM
FEVDVM EX CVLPA AMIT-
tatur, & cui ita amissum
applicetur.

QVAS

D. F. G.


*AVTHORITATE ATQVE
Consensu Amplissimi Iuris-
consultorum in Inclyta Basi-
liensium Academia*

ordinis,

Pro priuilegijs ac honoribus summi
gradus in utroq; iure consequendis
discutiendas proponit

IOHANNES SCHEFFER
HALLENSIS SAXO.

Ad diem 5. Nouemb. loco horiq; consuetis.



BASILEÆ,
Typis CONRADI VVALDKIRCHII.
CIO IO XCIII.

